

D 655

DE LINGuae ARAMAEAE DIALECTIS

DISSERTATIO ACADEMICA.

QUAM

VENIA AMPL. FACULTATIS PHILOS. UPSAL.

P. P.

MAG. CAROLUS JOHANNES TORNBERG

TH. C. LITTERARUAE ARAB. DOCENS, AD BIBL. ACAD. AMAN. ORD. LIDÉN.,
REGIAE ACAD. LITT. HUM. HIST. ET ANTIQU. HOLM., REG. SOC. SCIENT. UPS. ET
REG. SOCIET. ASIAT. PARISIENSIS MEMBRUM

ET

PETRUS DAV. MALMQVIST

OSTROGOOTHI

IN AUDITORIO GUSTAV. DIE XII OCTOBris MDCCXLII

H. A. M. S.

P. I.

UPSALIAE

EXCUDERANT REGIAE ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



De linguae Aramaeae proprietatibus et mutua diversarum ejus dialectorum ratione scripturus ^{a)}), id non agam, ut historiam hujus sermonis enarem continentem, neque in diversis, quae variis locis et aetatibus obtinuerunt, vocabulorum formis ac significacionum discrepantiis se inter conferendis verser. Unicuique enim, si paullum modo in his se exercuerit litteris, facilime apparebit, talem et tantam materiam, etiamsi scribenti et vires rei suscipienda pares et multarum litterarum scientiam inesse concedas, intra terminos speciminis academici circumscriptos non posse tractari. Itaque ambitum ejusmodi instituti ampliorem non magis, quam temporis angustias majores perspiciens, summas tantum et maximi momenti exponam lineas, quae linguam Aramæam quasi constituunt, et differentiam breviter explicabo dialectorum. Diu quidem est, quod litterae Aramaeorum, utpote quae pauperes, rudes atque incoltae judicarentur, a viris doctis, ad alia omnia graviora (sic enim putabant) eaque gratiora festinantibus paene in contemptum datae sunt ^{b)}). Plus trecenti anni in his studiis

^{a)} M. L. KIHLMARK eandem fere rem, si rationem aetatis sua habueris, egre-
gie et accurate explicavit in dissertatione *de lingua Aramaea inscripta*, cuius
duas partes Upsaliae edidit, alteram anno 1781 (praeside E. HESSELGREN), alteram
anno 1783 (praeside C. AURIVILLIO). Sub nomine Aurivillii false imposito saepe ab
exteris etiamnunc laudatur.

^{b)} Lingua Aramaea, quoniam Semiticæ est originis, per se eam habet facul-
tatem sese excodiendi et easdem virtutes, quas dialectis Semiticis philologî clarissi-
mi inesse concedunt. Sat erit, unum GUIL. A HUMBOLDT citasse, qui in opere
maxima laude diguo: *Ueber die Kawi Sprache* (Praef. p. CCCXXIV) de lin-

consumti vix valuerunt, ut rite existimaretur Aramaeorum sermo. Verum his tandem diebus, postquam viri in litteris orientalibus summi nominis et auctoritatis magno cum ardore et feliciter litterae aramaicae operam navaverunt, ei suus quoque locus eximus inter ceteras Orientis linguas est vindicatus^{c)}. Tantum vero abest, ut illis audeam aemulari, qui libris deinceps editis et scientiam harum linguarum mirifice adjuvant et famam nomenque sibi conciliant clarissimum, ut eorum humeris nixus luminibusque illustratus campum illum emetiar vastissimum. Quod si justo festinantis quibusdam hoc facere fortasse videar, eos velim monitos, quanta apud nos adhuc laboret litterarum orientalium studiosus molestia, dum praesidiis, apud exterros anquisitu facillimus, haud raro carens, ea modo expromere potest, quae in scriptis, quorum ei copia fuerit, inveniantur, et si quando novum aliquid se reperisse crediderit, id jamdiu cognitum mox reprehendet^{d)}.

Ut ordine res progrediatur, ita dissertationem instituam, ut primum fines, quos dicunt, geographicos aramaeae linguae in medio proponam, intra quos inde ab antiquissimis temporibus ad hanc usque nostram aetatem, quoad cognitum est, viguerit. De-

guis Semiticis haec dixit: "Auch an sich, bloß technisch betrachtet, steht der Organismus dieser Sprachen an Strenge der Consequenz, kunstvoller Einfachheit, und finnreicher Anpassung des Lautes an den Gedanken nicht nur keinem anderen nach, sondern übertrifft vielleicht hierin alle." Quae quum Aramaeae etiam linguae merito attribuantur oportet, neque lingua nec litterae pauperes jure appellantur, etiamsi eum cultus gradum, ad quem postmodum Arabicae perveniebant, numquam attigerint.

c) BERNSTEINIUM, GESENIUM, S. DE SACYUM, ROSENIIUM, STEPH. QUATREMÈRIUM, RÜDIGERUM cet. exempli causa nominasse sufficiet.

d) Difficultatem libellos, quos Monographias dicunt, hujusmodi disquisitionibus maxime necessarios apud nos comparandi, haec scribens acerbissime saepius expertus sum. Eduntur maximam partem aut in Academiis programmata et dissertationes, aut in collectionibus ambitus majoris, quae, quin in Bibliothecis publicis de-
sint, privatum pretio deterrent.

inde dialectorum, quae ex ea sese quasi explicaverint, reddam rationem et de harum denique diversitate et similitudine simul disputabo. Initio mihi fuit constitutum, caput his addere quartum, in quo dialecti singulae suam quaeque recensionem habitu- rae essent diligentiore. At operis accelerandi necessitate coactus, in generalioribus quum jam subsistam, olim otium nactus com- modum dabo specialiora.

I.

Linguae Semiticae vel, ut alii mālunt, orientales^{e)}, quarum Aramaea pars est praecipua, ab ultima antiquitate easdem in Asia sedes occupasse videntur, quas ibi etiamnunc tenent. In Oriente, ut constat, mores populorum et instituta tamquam fixa manent, et quamvis forma reipublicae saepius mutetur, imperia imperiis creberrime succedant, stat tamen inconcussa gentium vita interior non minus quam exterior. Lingua nimirum in primis se ostendit stabilissimam, et Semitarum igitur sermonem in eadem adhuc reperimus Asiae occidentalis regione, ubi ter mille abhinc annis vigebat, eas tantummodo passum mutationes ac vicissitudines, quas omnibus rebus humanis tempus afferre solet. De cel- sissima mediae Asiae planicie in Persidis citerioris juga descenditibus nobis in mediis Curdorum montibus occurunt limites trium hujus orbis linguarum patentissimarum. Si a flumine *Diala*, quod *Delas* quondam appellabatur, septentrionem versus ad Armeniam propriam duxeris lineam, cis eam *linguas Semiticas*, ab

e) In genealogia Semi posteriorum (Gen. 10, 22) filiis ejus *Elam* (אֶלְעָם) quoque adnumeratur, quae vox (cfr. Dan. 8, 2; Gen. 14, 1; Jes. 22, 6; Jer. 49, 34 cet.) Persidem ubique designat. Qua ratione gens a Semitis lingua adeo discrepans a Semo originem duxerit, explicatu sane difficillimum erit. Sed omni de hac quaestione missa contentione, nomen usu sanctum et certe commodum, alterius latius patent, quum omnes omnis Asiae linguas complecti possit, jure quodam praeferimus.

orientem autem *Indo-Germanicas* dominantes invenies, dum *Turcarum* ab aquilone delatae sparsim usque ad Dialam vigent. Nullus dubito, quin hic patria sermonis Aramaei sit quaerenda. Ne vero in tam ancipite tamque fallace re errori faciliter exponar, nomen gentis, quae hac lingua usum est, ducem sequar certissimum. Aramaei, id quod satis constat, ab אַרְםָאֵן, סִירָה i. e. terra alta, excelsa^{f)} nominantur, quae a *Libano* monte, *Palaestina*, *Tigride* et *Tauro* circumclusa vulgo *Syria* dicta est^{g)}. Quamquam igitur hoc nomen una cum lingua in loca planiora mature translatum videntur, vocis tamen origo et significatio viam, qua Aramaei ab excelsioribus in depressiora devenerint, evidenter demonstrat. Quemadmodum enim ubique terrarum homines montes fluviosque in migrando viae indices elegerunt, sic praesertim in Asia esse factum, testantur et cultus generis humani cursus et monumenta omnia omnium fere populorum. Et rerum et locorum conditioni maxime erit consentaneum, si pro certo habueris, Aramaeos etiam de montibus, quibus Tigris et Euphrates originem debent, sede sua antiquissima descendentes, occidentem et meridiem petuisse omnemque paullatim occupasse Syriam. Quae si vera putaveris, mihi non aegre largieris, linguam Aramaeam a septentrione meridiem versus, per *Mesopotamiam*, *Babyloniam* atque *Assyriam* se propagasse. Ea, quam ultimo loco posui, terra terminum effecit sermonis orientalem; sinus *Persicus* eum a meridie terminavit. Postea per loca deserta *Palaestinam* attigit in septentrionem usque ad *Taurum* et in meridiem per *peninsulam Sinaiticam* vel ulterius sese diffundens. Quod si posterius tandem hoc fuerit propagata lingua Aramaea, veri tamen simillimum est, eam in partibus Syriae septentrionalibus jam antiquitus valuisse. — Hanc in *Syria* fuisse usurpatam, testis est *Jesaia*, qui C. 36, 11 narrat,

f) A voc. אַרְםָאֵן, סִירָה nomen derivandum censeo.

g) Versio Alexandr. LXX Σύρια, Vulgata *Syria* voc. סִירָה fere ubique reddit.

Iegatos Judaeorum Rabschakam, ducem exercitus Assyriaci, rogasse, ut Aramaice (ארמיוח) loqueretur, ne obsessi, muris Hierosolymae insidentes, quae diceret, intellegenter. Mesopotamia vero in Genesi semper פְּרַן אָרֶם planities Aramaea, alias ארם נהרים utriusque fluminis Aramaea nominatur ^{h)}, et Laban hinc originus icti cum Jacobo foederis monumentum, quod hic גָּלְעָד dixerat, יִגְרֵר aramaice nuncupavit, Genes. C. 31, 47 ⁱ⁾. Lingua autem Babylonica apud Danielem jam Chaldaica (לשׁונָן כָּשָׂרִים C. 1, 4) jam Aramaea (ארמיוח C. 2, 4) vocatur. Utcumque de hac diversa appellatione judicaveris, sive Danielem unam eandemque linguam significare voluisse, sive indigenarum gentisque imperantis sermones inter se diversos habuisse, certe id firmum manebit, Babylonios Aramaice esse locutos ^{k)}. Inscriptiones Palmyrenae jam probe nobis demonstrant, linguam Aramaeam in

^{h)} De diversis, quas מִנְחָה in S. S. accepit, appellationibus et significationibus vides. WINERTI Bibl. RealWB. I, 93 sq. et ROSENMUELLERI Biblische Alterth. kunde I, 2, pp. 153, 144, 233, 248, 251 et 252.

ⁱ⁾ Mesopotamia translatio est vocabuli מִצְרָיָם Δέσμη Syr. E Graecorum scriptoribus Strabonem testem citamus, qui (in Geogr. ed. Siebenkees T. I, L. I, p. 111 et sq.) haec refert: Το γαρ των Ἀρμενιῶν (legendum credo Ἀραμαῖων) ἔθνος, καὶ το τῷ Συρῷ, καὶ τῷ Ἀράβῳ, πολλὴν ὄμοιόλιαν ἐμφαινεται πάται τῇ διαλέκτῳ, καὶ τοις βίοις, καὶ τοις των σωματών χαρακτήρας, καὶ μαλιστα παθοικώσι τοις. Δῆλος δὲ οὐδὲ Μεσοποταμία ἐκ των τριών συνεστώτων τοιταν ἔθνων. μαλιστα γαρ ἐν τοιταν οὐδειοτης διαφαίνεται. — Εἰκαζει γε δὴ καὶ τας των ἔθνων τοιταν πατονομασιας ἐμφερεις ἀλληλαις εἶναι· τους γαρ οὐφ' ίμων Συρος παλαιομεγονος οὐπ' αἰτων των Συρων Ἀρμενιον, καὶ Ἀραμαῖον παλεοσθαι. In libris manu scriptis Strabonis frequenter Ἀσσυριοι cum Συροι, Ἀραμαῖοι cum Ἀρμενοι comparantur. De ipsa lingua alio loco (L. II, p. 225) diserte opinionem firmat propositam της διαλέκτης (Συριανης de qua hic agitur) μεχρι την διαμενουσας της αὐτης, τοις τε ἔκτος του Εὐφρατου καὶ τοις ἔπουσ.

^{k)} Xenophontis certe tempore haec res Graecis optime nota erat. Quum in Cyropaedia sermo est de expeditione Cyri in Babylonem, non solum (Lib. VII, 3 31 ed. Weiske) de τοις Συροται ἐπιστημενοις, sed paullo ante (L. VII, 5, 51) Συρια γραμματα etiam commemorat.

his regionibus diu fuisse vernaculam. E septentrione vero alia forsitan viā in Palaestinam descendit. Nomen gentis cuiusdam iterum hujus rei nos admonet. Graecis populum Aramaeum bene cognitum fuisse constat^l); vulgo tamen omnes stirpis aramaeas nationes *Syros* appellarunt. Sed his, teste Herodoto, *Cappadoces* alias *Λευκοσυρους* vocatos adnumerarunt^m). Certo, certius affirmare hoc nomen mihi videtur, hunc populum ramum quasi habitum esse stirpis Syriacae i. e. Aramaicae, quacum linguae societate esset conjunctus. In finibus igitur Syiae, si vera quidem illa est sententia, ab antiquissimis temporibus, gentem videmus haud exiguum habitantem, quae Aramaica etiam lingua utebaturⁿ). Haec quoque caussa sine dubio fuit, cur Palaestinenses septentrionales sermonem suum ad Aramaeismum in primis inclinarent.

^l) Si ulterius rem firmare argumentis opus erit, locos hos e Strabone citabimus. L. XVI. p. 464 (T. VI.) ubi de dicto Homeri (II. II., 783) disserit, haec habet: Λευκη δέ καὶ τοὺς Ἀριμους ὁ ποιητης, οὐς φησιν Ποσειδωνίος δεκατθαι δειν, μη τοπος τινα της Συριας, η της Κιλικιας, η ἀλλης τινος γης· ἀλλα την Συριαν αὐτην. Ἀριμαιοι γηρ οἱ ἐν αὐτῃ. Ταχα δὲ οἱ Ἑλληνες Ἀραμαιους ἐκαλουν, η Ἀριμους. Αἱ δὲ των ὄνοματων μεταπτωσις, καὶ μαλιστα των βαρβαρικων πολλαι. T. V. L. XIII. p. 475. Οἱ δὲ του Συρους Ἀριμους δεκονται, οὐς γην Ἀραμαιους λεγουσι.

^m) Herod. I, 72: Οἱ δὲ Καππαδοκαι ὑπὸ Ἑλληνων Συροι ὄνομαζονται. ἔσαν δε οἱ Συροι οὗτοι το μεν προτερον, η Περσαι ἀρξαι, Μηδαι κατικου, τοτε δε Κυροι. — Ib. V, 49: Φρυγων δε ἔχονται Καππαδοκαι, τους ημεις Συριους καλεοντεν. — Ib. VII, 72: Οἱ δὲ Συροι οὗτοι ὑπὸ Περσων Καππαδοκαι καλεονται. De Cilicibus Syriacae originis vid. HEERENII *Commentationem de linguarum Asiaticarum in antiquo Persarum imperio varietate et cognatione* in *Comment. Gotting.* Vol. XIII. p. 50. Aliter judicat GESENIUS in *Gesch. d. Hebr. Spr.* p. 4.

ⁿ) In suo συγιστι universam linguae Aramaeae stirpem Graeci complexi sunt, id quod ex nota k) intelligitur. De cetero non miramur, linguam Aramaeam in septentrionem tam longe lateque fuisse diffusam. Nam si in Amosi C. IX, 7. תְּהִלָּה מִקְרֵב יְהוָה בְּצִדְקוֹתֶךָ, illud קְרֵב, ad fluvium Kur l. *Araxem* situm summa cum probabilitate putandum est, testimonium latioris etiam propagationis valde idoneum in illis verbis habemus. Cfr. WINER I, c. I, p. 777.

Ita ex omnibus fere partibus^{o)} in Palaestinam lingua Aramaea coepit immigrare, et Judaei quum ante captivitatem commercio finitimorum perpetuo tum in exsilio consuetudine diuturna eam sensim addiscentes, reduces denique magis magisque adeo receperunt, ut patrii sermonis mox plane obliviscerentur, et lingua oriatur Palaestinensis, quam Christi tempore eam fuisse conspicimus, aramaea quidem, sed vocibus formisque hebraicis ita mixta, ut hybridam eam vocare non dubitemus. Cum Judaeis in Aegyptum deinde traducta est, id quod papyris et inscriptionibus aramaicis ibi repertis^{p)} comprobatum est. Quo tempore in Arabiam petraeam Aramaeismus fuerit delatus, non liquet; eum tamen ibi diu viguisse testis adhuc exstat mons Sinai venerandus^{q)}.

II.

In praecedentibus de lingua Aramaea, ut appareat, universa sermo fuit. Philologis vero mos fuit, hanc etiam in multas dividere dialectos, quas alii magis conjungunt, alii nimis distrahunt. Omnium primum constat, in duas sectiones majores eam distribui: *Aramaeam orientalem*, Mesopotamiae et Babyloniae propriam et *occidentalem*, in Syria, quae proprie dicitur, vigentem.

^{o)} HÄVERNICKII (*Handb. der Histor. krit. Einleitung in das alte Test. I, 1. p. 107 sq.*) sententia de linguae phoeniciae origine et indole aramaea valde erronea est. In libro: *Scripturae linguaeque Phoeniciae monumenta inscriptio T. I. p. 331 sq. cl. GESENIUS* satis superque exposuit, quanta ejus esset cum Hebreæ necessitudo. Qua ex re concludere licet, jam ante Abrahæ in Palaestinam migrationem, in Canaane sermonem proprium viguisse, qui in ore Ju-dæorum eam sibi induerit formam, quam S. S. nobis offert.

^{p)} E. F. F. BEER, litteris orientalibus premature eruptus, in libro singulari, *Inscriptiones et Papyri veteres Semitici. Part. I. Lips. 1833.* de his monumentis diligenter egit.

^{q)} Idem BEER sagacissimus inscriptiones explicavit Sinaiticas, et originem eorum *Nabathæam* docuit, in *Studiis Asiaticis* Fasc. III. p. XVI. Cfr. ROBINSON, *Palaestina* I. p. 210 et 428.

At quot et quantis haec dispositio laboret vitiis, vel minima quoque ipsius terrae consideratio docebit, ubi nulli omnino fines ita comparati inveniri possunt, ut ejusmodi sententiae faveant. Neque ex indole linguae et natura caussae expromi possunt graviores, quae philologum ad eam distributionem accipientiam commoveant. Est enim ab ecclesiae Syriacae in orientalem et occidentalem divisione profecta, quae sedes patriarcharum diversas praesertim spectabat, neque linguae, tunc in hac regione ubique Syriacae, aliquam habebat rationem^{r).} Verum quaestio hic alia tractanda mihi videtur, utrum dialecti omnino ullae in lingua aramaea sint putandae nec ne? Quod quum alii negarent alii contra affirmarent, utraque pars a diversa vocis *dialecti* significacione sine dubio exorsi sunt. Si quis dialecto vim eam subjectam velit, ut linguas Arabicam, Aramaeam et Hebraeam dialectos appeleret semiticas, ideoque in Aramaea plures quasi linguas proprias constitutat, talem in ea discrepantiam omnino rejiciendam censeo. Sin dialectum variationem eam leviorem et mutationem linguae cujusdam dixeris, quae, formis omnibus servatis, in sonotantum et rebus haud praecipuis perspicua, annis volventibus et, id quod hic maximum est, popolorum mutuo commercio, ubivis terrarum oriri solet; in lingua etiam Aramaea quis est qui neget esse dialectos? In qua vero re si diligentius inquiras, id multum tibi creabit difficultatis, quod nulla singularum dialectarum monu-


r) In ASSEMANI *Biblioth. Orient.* T. I. p. 411 not. 2, ubi de ejectione Monachorum e coenobiis sermo est, Λαζαρος Κονοβιον οριντις et occidentis Assemanus explicavit per "Assyriorum et Mesopotamenorum." Ib. p. 557. col. I. "Chaldae et Assyrii se ipsos Orientales vulgo appellare solent, Mesopotamenos vero et Syros Occidentales." T. II. p. 252. not. 1: "Occidentem ita vocant Syri Mesopotamiam et Syriam; Chaldaeam vero et Assyriam, Orientem." Ib. p. 313, ubi voces Αραμαιον Λαζαρον per "Antiochenos Patriarchas" Αραμαιον per "Orientales" et in nota 2 sub juncta, "Primates et Patriarchs Chaldaeorum; nec non Maphrianos Jacobitarum" reddit. Ib. p. 397. col. I. iterum de effato quodam Ebed Jesui dicit: "ibi enim Occidentales Syros Orientalibus Chaldaeis opponit." Cfr. III. 1. p. 59. Hic vero nihil de lingua agitur, quae omnibus eadem suis Syriaca.

menta ejusdem existant aetatis, quorum auxilio solo rectum de sermonis transformatione judicium facere possis. Quamobrem omnis disquisitio manca evadat necesse est. Omnibus tamen rite pensitatis, tempus quo singulae dialecti in lucem editae probabiliiter existimari possint, id quasi principium statuo, ad quod eas propositas explicare conabor. *Chaldaeam* igitur primum, deinde *Samaritanam*, tum *Syriacam*, post *Nabathaeam* et denique *Zabicam* exponam^{s)}.

Dialectum *Chaldaicam* in antiquissimo *Onkelosi* Targumo habes purissimam^{t)}, cui proximum est *Jonathanis ben Uziel* in Prophetas Targum. Apud *Danielem* (C. 2, 4; — C. 7.) et *Ezram* (C. 4, 8; — C. 6, 18 et C. 7, 12 — 26)^{u)} ea ad hebraismum inclinat et in ceteris Targumim magis magisque degenerat, ut postremo habitum sibi induat Rabbinismi. Jam in Scriptura Sacra, ut supra vidimus, nomen hujus linguae occurrit, et incolae *Babyloniae* ac *Mesopotamiae* ibidem saepissime *Chaldae* dicuntur^{v)}.

^{s)} Cognitionem omnium linguarum Semitici generis communem graphice, ut ajunt, sic sere exhibeam:

Linguae Semitarum



^{t)} De hujus Targumi aetate et praestantia vides, dissertationem *Wineri* egregiam de *Onkeloso* ejusque paraphrasi *Chaldaica*, p. 7 sqq. et 19 sqq.

^{u)} Unus JEREMIAE locus C. 10, 11 parum insignis hic etiam commemorandus est.

^{v)} Cfr. GESENII Thesaur. II. p. 719 sq. et WINERI RealWB. I. p. 253 sq.

Sunt qui putent, hunc populum originis fuisse Semiticae, dum alii contra stirpem ejus Indo-Germanicam fuisse acriter defendunt. Illi non parum praesidii sententiae suae nacti sunt, repertis numeris in montibus Curdorum gentibus haud exiguis, quae linguam adhuc retinent syriacam ^x). Hi autem, qui Karduchos Graecorum cum Chaldaeis conferunt et Curdos nostri aevi ex eodem fonte derivant, linguam eorum Persicam semper fuisse contendunt, quemadmodum Curdi natales cum Persis communes sermonem suo adhuc testificantur ^y). Voces haud paucas persicas chaldaicis admixtas huic opinioni vim magnam addere credunt. At in re tam obscura, quamvis arduum sit, aliquid pro certo affirmare, tamen non crediderim in regione illa montana, ubi Aramaeorum sedes posui antiquissimas, eorum linguam plane intercidisse. Eodem jure Chaldaeorum posteros nationes hodie syriace loquentes facere mihi videar ac vicinos eorum Cardos, quorum lingua e variis confusa haud praecepit prae se fert antiquitatis speciem. Graeci ^z) aequi in Babylonie ac in montibus juxta Armenios Chaldaeos collocant; et quamvis merito possit animadvertisi, linguae rationem iis non omnino fuisse perspicuum, nihilominus nomen commune affinitatem quandam indicat, quam frustra refellere tentabimus. Quod si Chaldaeos, qui Babylonem occuparunt, ex alia, quam Aramaeos, stirpe oriundos posueris, nomen eorum linguae, iam Chaldaeae appellatae, male fuisse inditum facillime mihi concedes. Hanc enim origine Aramaeam esse, nemo umquam inficiabitur. Sed quomodo cumque initia ejus explico, fieri non potest, ut, quemadmodum in monumentis scriptis jam reperitur, ea sic in his regionibus ullo tempore usum habuerit. Nam non in

^x) De hac re succincte disputavimus in Frey 1842. Vol. VI.

^y) Cfr. RÖDIGER u. PÖTT, *Kurdische Studien* in Zeitschr. f. d. Kunde d. Morgenl. III. p. 1 sqq.

^z) XENOPH. *Cyrop.* L. 3. c. 2, quod totum in bello contra Chaldaeos Aramiorum vicinos narrando versatur. In *Anabasi* frequenter 4, 3, 4; 5, 5, 9 cet. iisdem locis Chaldaei nominantur. Trans Halym usque ad Pontum Euxinum linguam Aramaeam quandam regnante fecit HEEREN. I. c. p. 32 sqq.



Chaldaicis modo Danielis et Ezrae locis, sed apud Paraphrastas etiam tot ac tanta Hebraismi vestigia insunt, ut haud difficulter intelligatur, quantam haec lingua vim in illam chaldaicam habuerit. Eadem igitur ratio ibi intercedit, quae posterius in Talmudo et forsan in ipsa dialecto Palaestinensi cernitur recentiore, ut quum hic Hebraea Chaldaicā temperatam se praebet, illuc autem Chaldaica cum Hebraea mixta videatur. Ad hunc modum in ore Iudeorum chaldaica paullatim transformata est lingua, genium tamen proprium sub hac etiam specie quodammodo conservans. Hebreos colonos ex Aramaea in Canaan olim migrantes ^{a)}, etiam si linguam patriae novae brevi reciperent suae ipsorum affinem, nativam numquam omnino dedidicisse cogitaveris. Ergo Hebraica lingua Aramaeae post exsilium sensim facile cessit, donec eam sibi indueret formam, quam paullo ante et post Christum natum in Palaestina vulgo imperantem videmus ^{b)}. Ejusdem fere habitus sunt et papyri in Aegypto reperti Semitici, et inscriptio lapidis Carpentoractensis ibidem inventi; qua ex re concludere fas est, Iudeos in hanc commigrantes regionem, sermonem suum, uti tum erat, ibi retinuisse ^{c)}.

Proximum post Chaldaicā aetate locum *Samaritanorum* occupat dialectus. Originem debet colonis, quos Salmanasar, postquam captivos abduxit Israēlitās, ex variis Assyriaे uribus in oppida pagosque eorum misit ^{d)}. Itaque lingua iis ab initio Aramaea fuit, neque ii sunt audiendi, qui hunc populum ex

^{a)} Cfr. GESENII *Lehrgeb. d. hebr. Sprache* p. 195.

^{b)} PFANNKUCHE: über die palaestinische Landessprache in dem Zeitalter Christi und der Apostel (in EICHHORNII *Allgemeine Bibl. der bibl. Litter.* Vol. VIII. p. 365 sqq.) hanc rem optime exposuit. Hic alienum haud esset de Chaldaismis in lingua Hebraea S. Sae pauca disserere; sed post HIRZELIUM (*de Chaldaismi Biblici origine et auctor. critica*) hanc rem tractare, operam et oleum perdere putavi. Cfr. libr. cit. p. 17.

^{c)} De his monumentis Semitico-Aegyptiacis vides. GESENII *Scripturae linguaeque Phoeniciae monum.* T. I. p. 226. LIBRUM BEERII not. p) p. 7 laudavi.

^{d)} Vid. 2 Reg. 17, 24—34, 41.

Israëlitis in terra relictis novisque colonis permixtis esse conflatum contendunt. Receptis vero a Judaeis non sacerdotibus modo sed lege etiam Mosaica et commercio, cum illis continuo, lingua non potuit non et voces et formas ex Hebreæ sensim adsciscere. Hinc satis superque explicatur sermonis et cum Chaldaico similitudo et ab eo discrepantia. Judæi, qui odio in eos ferebantur immortali, consanguinitate nullo tempore comprobata, *Cuthæos* (כּוֹתָיִם) eos nominarunt; verum ipsi *Samaritanos* (שָׁמַרְנִים) ab urbe Samaria (שָׁמַרְן), vel, paronomasia apud eos adamata, שָׁמְרִים custodes se dixerunt^{e)}. Gens semper infelicissima a vicinis et a tyrannis pertinaciter infestata, primum per varias terras dissipata est; et in Aegyptum bello capti ablati alii, alii Romam et in imperium Graecum mercaturaे caussa iernnt. Sensim deinde attriti, omnibus tamen periculis adhuc superstites, numero quamquam pauci mores majorum et linguam tuentur antiquam^{f)}. Litteræ Samaritanorum, si ambitum respexeris, valde pauperes sunt et exiguae. Versio Pentateuchi hebreæi, certe ante Origenem facta^{g)} et carmina aliquot religiosa a Gesenio edita^{h)} o-

e) Cfr. WINER, *RealVB*. 2, 435.

f) E. ROBINSON, qui anno proximo omnium omnino optimam Palaestinae descriptionem publicavit (*Palaestina und die südlich angrenzenden Länder*. Halle 1841), novissimam etiam Samaritanorum dedit expositionem. In *Nabulusi* urbe, quondam *Sichem* dicta, jam unice habitant, neque 150 hominum numerum excedunt. Facies eorum nihil *Judaei* præ se ferunt. Vides. Vol. III. p. 517 et sqq. Cfr. in *Stäudlin u. Tzscherner Archiv* I. 3, p. 40 sqq. *Ueber den gegenwärtigen Zustand der Samaritaner*, von S. DE SACY.

g) Vid. UHLEMANNI *Institutiones Samar.* p. XVIII. Cfr. II. BENZELII *Synstagma dissertationum* (ed. Kappii) I. p. 389. WINERI dissertationem de Versione Pentateuchi Samaritana nondum videre mihi licuit. Versionem illam cum Pentateuco Samaritano hebraice quidem sed litteris samaritanis scripto et hic illic emendato ne confundas cave. De hac GESENIUS in libello *de Pentateuchi Samar. origine, indole et auctoritate* præclare disputavit. Ibi etiam p. 18 et 19 de versione illa pauca dedit.

h) *Carmina Samaritana*. Lips. 1824. Versio Pentateuchi Samaritana in Bibliis polyglottis Morini Parisiensibus nec non Waltoni Londinensisibus exstat.

mnia sunt, quae hucusque innotuerunt. Quibus epistolae recentiore aevo vel doctis Europae hominibus vel Samaritanis, quos in his terris habitantes credebant, datae et a Sylvestro de Sacyo evulgataeⁱ⁾ addi etiam possunt. Et maxime idoneae sunt, quae miserrimum cultus Samaritanorum statum hodiernum et linguam valde corruptam ostendant. Lingua arabica apud eos jam pridem invaluit. Sed scripturam, qualem eam simul cum Pentateucho a Judaeis acceperant, fideliter tenent, quam hi tamen, tempore inter Maccabaeos regnantes et Mischnam compositam praeterlapso, cum vere Aramaea commutaranit, cūjus ex alphabeto Aramaeo origo omni dubio exemta est^{k).}

Dialectus vulgo *Syriaca* appellata hoc tandem loco traetatur, non quasi certo constaret, eam post Samaritanam demum extitisse, sed quia omnia, quotquot habemus, scripta Syriaca tempore sunt posteriora. Aramaici generis linguarum maxime exculta est, et, si librorum varietatem atque multitudinem spectaveris, ditissima. Quum religio christiana in illis regionibus propagaretur, sermo Syrorum primum coli coepitus est et versio Novi Testamenti Syriaca Simplex antiquissimum ejus quod exstat monumentum nobis innotuit. Septentrionalem linguæ Aramaeæ ditionis quasi regionem a Palaestina ad Natolian et a mari mediterraneo usque ad Euphratēm porrectam Syriaca occupavit^{l).} No-

ⁱ⁾ In *Notices et extraits des Manuscrits T. XII.* p. 1 sqq.

^{k)} HUFFELD in *commentatione, Beleuchtung dunkler Stellen d. alttest. Textesgeschichte*, inscripta (vid. UMBREIT et ULLMANN, *Theol. Studien* 1830, pp. 247 sqq., 549 sqq., 785 sqq. et 1837, p. 820 sqq.) evidentissime demonstravit et Scripturae quadratae ex alphabeto Syriaco originem, et punctorum non solum cum antiquis Syrorum punctis diacriticis, sed cum Arabum etiam vocalibus nexum propinquum. Quam ob rem, quum contra doctrinam Judaeorum veterem, adhuc unanimiter receptam, multae res antiquiores olim creditae, ita multo recentiores fierent, a quibusdam Theologis systema HUFFELDI magnam expertum est contradictionem. Vid. ek. c. HÄVERNICK I. c. I. p. 103 e. s. p.

^{l)} STRABO etiam hos fines Syriae descripsit, I. c. L. XVI. Vol. VI. p. 299. Cfr. WINER R. WB. II. p. 644 sq.

men linguae et gentis domesticum non est, sed Graecum, et certissimum videtur, id e vocabulo *Assyria* in *Syriam* contracto esse profectum^{m)}. In Talmudo et recentioribus Judaeorum scriptis סְרָרֶתִי (i. e. συριατι) saepius obveniens sermonem indicat Palaestinensem Chaldaico-Hebraeum, ab אַרְמֵי apud eos bene distinctum, quo dialectum Babyloniam Aramaeam appellare solent; quamquam סְרָרֶתִי de Chaldaismo biblico, eodem ac אַרְמֵי sensu, nonnumquam abusive usurpantⁿ⁾. Caussam autem, cur Syri denominationem peregrinam prae illa antiquiore ipsi adoptarent, e Christianismo derivandam puto. Hominibus enim pulchrum videbatur, cum religione nova nomen quoque recipere novum. Et quoniam in lingua Syrorum sancta ﴿אַרְמָנָה﴾ paganum significaret vocique ﴿אַרְמָנָה﴾ Aramaeo praeter sonum omnino congrueret, eo invidiosius christiano erat appellationem retinere, cui ignominiae nota haud exigua esset inusta. Edessae (ܐܼܕܻܸܸܳ) prima linguae conformandae fundamenta esse jacta, vere statuitur, ubi primam in his regionibus ecclesiam christianam, ab ipso Thuddeo (ܬܻܸܸܲ) apostolo conditam, exstisset fama perhibet vetustissima. Hic floruit (c. anno 170 post Christum natum) Bardesanes de litteris Syriacis optime meritus, et hic etiam scholae, sicut postea Nisibi, celeberrimae institutae sunt, quae ad linguam excolendam nihil adjuvarunt. Quamquam et ratio linguae prisca ejusque initia, monumentorum inopia, latent, credere nihilominus audemus, eam linguae Aramaeae indolem sinceram melius quam ceteras dialectos exhibere, si modo excipiamus ea, quae et Graeciae et Persidi in ea debentur. Dialectus Syriaca, quum et litterae ei inessent haud spernendae et, quod majoris esset momenti,

^{m)} De hac transformatione optime disseruit BOCHART in *Geogr.* S. p. 341 sq. et STEPH. QUATREMÈRE, *sur les Nabatéens*. Paris 1835. p. 73 et 75. — HEROD. VII. 63: οὗτοι δε ὑπὸ μηνὸς Ἑλληνων ἐκάλεοντο Συριοι, ὑπὸ δὲ τῶν βαρβαρῶν Ἀσσυριοι ἐκληγῆσαν.

ⁿ⁾ Vid. BUXTORFIUS *Lexicon Chald. Talmud. et Rabbinicum* sub סְרָרֶתִי p. 1554 sq. סְרָרֶתִי p. 1453 et אַרְמֵי p. 219.

^{o)} N. T. Rom. 1, 16; 2, 9. 1 Cor. 1, 22. Gal. 3, 28.

sermo esset ecclesiae orientalis, apud diversas in Oriente Christianorum sectas ad hunc usque diem vigere numquam desiit ^{p).} Invalescente autem Islamismo, arabicae sensim cedere coacta e conspectu magis magisque abiit, donec plane emortuam eam paene cuncti putarunt. Sed forte fortuna Evangelii inter infideles interpretibus Americanis nuper accidit, ut in montibus Curdorum tribus invenirent validissimas, quae una cum nomine Christiano sermonem servaverant syriacum, quem in campus etiam subjacentibus aliis adhuc repererunt. Qua ex re augurium novi hujus linguae vigoris capere licet laetissimum ^{q).} Multi quidem sunt, quibus in lingua Syriaca alias easque haud paucas inesse dialectos affirmare placet, et in hac re Assemani auctoritate suam comprobant sententiam. Si vero dicta Assemani ^{r)} huc spectantia bene consideraveris, nihil aliud ex iis elicies, nisi vocalium sonum clarorem aut obscuriorum, qui in sermone semitico solus ad dialectum a ceteris plane diversam constituendam valere nequit. Qui cum Hoffmanno ^{s)} Antiochenam, Palmyrenam, Hierosolymitanam cet. dialectos fuisse putant, ii eodem jure singulis oppidis Syriae et pagis suam cuique tribuere posse mihi videntur.

Nabathaeorum gens e terra jampridem extincta est; at nomen eorum in operibus orientalium et occidentalium scriptorum non raro recurrit, et humanitatis admirandae monumenta, quae crudelissima barbarorum saevitia destruere nondum potuit, posteris ab iis relicita sunt. Omnes Scripturae Sacrae libri, excepto Jesaia, qui Cap. 60, 7. נְבוּנָת nominat ^{t),} Nabathaeos tacent, quoniam, credo, in Palaestinae vicinitatem nondum migraverant; sed Petrae (ψλ), postea eorum metropoleos, men-

^{p)} In Indianam remotissimam ad Malabaricam oram cum Christianis S: i Thomas penetravit. Vid. RITTER, Erdkunde 5, 601 sq. 945 sq. coll. ASSEMANI Bibl. Orient. III. 2, p. 435—450.

^{q)} Vid. not. x).

^{r)} Bibl. Orient. II. p. 407 et III. 2, p. 379.

^{s)} Grammat. Syriaca p. 42 et sqq.

^{t)} Cfr. GESENII Thesaur. 2, 841 sq.

tio non raro injicitur (2 Reg. 14, 7. Jes. 16, 1). Josephus ^{u)} quidem et post eum Hieronymus ^{v)} terram commemorant Nabathaeam, ab Euphrate ad mare rubrum pertinentem et a posteris Ismaëlis habitatam; sed Diodorus Siculus primus ^{x)} de populo narrat Nabathaeo, quem Arabibus adnumerat. Posterius vero Graeci et Romani ejus saepius mentionem faciunt et apud Arabum historiographos, qui universi Nabathaeis Aramaeorum genus attribuunt, eos frequenter deprehendimus. Si de origine eorum quaesieris, conjicio tanto eam explorare licebit; nam desunt idonea documenta. At rationes satis sufficientes eam præ ceteris confirmant sententiam, qua e Babylonia ii profecti putantur. Exstat enim liber de agricultura Nabathaeorum ^{y)}, ab Ibn Waschija e nabathaeo in arabicum versus sermonem, qui documento est, regionem de qua in eo agitur fuisse fertilissimam, desertis plane contrariam, in quibus agmina mercatorum Nabathaeorum posterius committare solebant. Ubique enim hic terra eorum describitur aqua abundans, canalibus dissecta, frumento atque arboribus laetissima, omni denique modo exculta. Quam si Babyloniam fuisse credideris, non multum a veritate aberrabis ^{z)}. Omnes laudant Nabathaeos litterarum amantissimos, et libros eorum plurimos Arabici nominant scriptores. Sed postquam Romani totam citeriorem Asiam expugnaverunt, historia hunc olim clarissimum populum alto premit silentio. Neque id mirum. Romani, Aegypto potiti, mercatura longe aliam aperierunt viam, quam qua per multa secula Nabathaei eam fecerant. Desertis igitur, quae nullum postea iis facerent lucrum, relictis, verisimile est, eos in patriam antiquam se recepisse, ubi singuli Nabathaei fuisse ab Arabibus

^{u)} Antiquit. Jud. Lib. I. c. 12.

^{v)} Quaestiones in Genes. ed. Martian. T. II. p. 530;

^{x)} Bibl. Histor. L. II. c. 48.

^{y)} أبو بكر أحمد بن واشية الفلاحة النبطية arabice versa a

^{z)} Bar Ali, Lexicographus Syrus, vocem نباتي Arabice vertit, teste Gesenio l. c.

DE LINGUAE ARAMAEAE DIALECTIS

DISSERTATIO ACADEMICA.

QUAM

VENIA AMPL. FACULTATIS PHILOS. UPSAL.

P. P.

MAG. CAROLUS JOHANNES TORNBERG

TH. C. LITTERATURAE ARAB. DOCENS, AD EBL. ACAD. ÅMAN. ORD. LIDÉN.,
REGIAE ACAD. LITT. HUM. HIST. ET ANTIQU. HOLM., REG. SOC. SCIENT. UPS. ET
REG. SOCIET. ASIAT. PARISIENSIS MEMBRUM

ET

PETRUS REINHOLD. BERGMAN

OSTROG. STIP. SLEINCOUR

IN AUDITORIO GUSTAV. DIE XII OCTOBRIS MDCCXLII

H. P. M. S.

P. II.

UP SALIAE

EXCUDEBANT REGIAE ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



saepius deinde memorantur. Quemadmodum ipsa gens, per omnem peninsulam Sinaiticam olim diffusa et in Aegypto etiam propinqua vivens, sic quoque lingua ejus perit. Vocabula tantum, ex inscriptionibus maximam partem petita, hic illic sparsa colligere possumus, e quibus concludere licet, eam Aramaicam fuisse. Nabathaeorum e Babylonia origo conjectuae locum offert idoneum, sermonem eorum, si adhuc extaret, nobis dialectum aramaicam esse praebitum ceteris puriorem, quam quae hodie cognitae sunt ^{a).}

a) Si quis plura de hac gente discere cupierit, ad librum cl. STEPH. QUATREM-
RII, nota ^{m)} laudatum, eum ablegabo, ubi omnia, quae crisis subtilissima cum lin-
guarum cognitione vastissima conjuncta de his rebus investigare potuerit, una col-
lecta inveniet. Neque lectorem poenitebit, *Palaestinam* ROBINSONI adire, T. III.,
p. 110 sqq. E viuisa vocabuli ~~huius~~ scriptura in diversis libris manu scriptis er-
rores sane ridiculi orti sunt. Sic noster NORBERG Nabathaeos Zabios facere vide-
tur in *Commentatione de religione et lingua Sabaeorum* (*Comment. Soc.
reg. Scientiar. Gotting.*, Vol. III. p. 1). — In *Vadi Musa*, Petra antiquorum,
adhuc existant inscriptiones, quae, aullo dubio Nabathaeis originem debent. Quis
vero erit, qui eas, mortuo BEERIO, nobis explicabit? Vid. etiam not. 9). Operae
præmium is sane faciet, qui verba apud Arabicos scriptores Nabathaea vocata colle-
gerit et eorum originem ex Aramaea indagaverit lingua. Arabes nominé Nabathae-
orum saepius eas designabant tribus, quae linguam Arabicam rustice loquerentur, quia
rudes et valde agrestes habebant sui temporis Nabathaeos, agri cultuae in Chaldaea
operam dantes. Cfr. d'HERBELOT, *Bibl. Orient.* à la Haye 1778. Vol. III. p. 1.

النبيط والنبيط DJEVHARI *Sihah* (Cod. Holmiensis) haec de Nabatheis habet: قوم ينزلون بالبطايج بين العراقيين والمع انباط يقال نبطى ونباطى ونباط متنزل يجئ ويماي وجانى حتى يعقوب نباتى ايضا بضم النون وقد استنبط الرجل وفي كلام ايوب ابن القرية اهل همان عرب استنبطوا I. e. NARATH et NARITH gens appellata est, quae in palustribus inter utramque Iracam (el Arabi et el Adjem) habitat. Forma pluralis est انباط. Eadem ratione ac tribus diversis modis adjectivum relativum تَبَاطِئَ تَبَاطِئَ تَبَاطِئَ pronuntiatur نبطى.

Ultima eaque maxime corrupta Aramaicae linguae propago est dialectus Zabiorum. Ita familia religionis quaedam dicta est, quae, Christianis, Judaeis et Muhammedanis aequa infesta, fidei profitetur principia, Gnosti orientalium simillima, quam apud Gnosticos Christianorum, in Judaeorum Cabbala et Zoroastri Zend-avesta invenimus. De ejus initiis valde ambigitur; alii enim primis Christianismi temporibus eam ortam volunt, alii vero post Islamismum propagatum natam esse contendunt. Utcumque erit, haud negaverim, Zabios forsan multo antiquiores esse, quam scripta illa demonstrant, in quibus, recentiore tandem tempore compositis, fundamenta fidei eorum exposita sunt. E Galilaea profectos se ipsi perhibent, et quum inde a Muhammedanis expulsi essent, in Asiae partes orientales se commigrasse dicunt. Olim quidem Bassorae inventi sunt, et in Perside circa urbem Schuster ad Karun flumen adhuc degunt^{b)}. Praeter Zabiorum nomen, aliae quoque variae appellationes iis sunt familiares, *Mendaei*, *Nazoraei* et *S:ti Johannis discipuli*^{c)}. Lingua eorum, libris tantum liturgicis aliasque sanctioris argumenti nobis cognita, opera primum et studiis NORBERGII reipublicae litterariae innotuit^{d)}.

Ja'kub dicit ^{جَبَاطِيْ} (Nubathaeus) etiam effterri. Vir dicitur more Nabathaeo (i. e. rustice) loqui. Ijub ibn Karija dicit, Arabas O'mani rustice loqui, Nabithos autem gentem in Baharein habitantem, obscoene loqui.^{e)}
 Quibuscum conferas haec dicta Firuzabadii (Kamus cod. Benzelianus Ups.)
 نَبِطٌ — جيل ينزلون بالبطائح بين العراقيين كالنبيط وهو نبطي ونبيطي
 مثلثة ونبيط كشمان

b) EUG. BORÉ, qui diu in his degit regionibus, spem nobis fecit novas de his Zabiis accipendi notias. Vid. *Journal Asiat.* 1842, Apr. p. 327 sq.

c) נְבָטִיאִים, מְבָטִיאִים, נְבָטִיאִים, וְבָטִיאִים in libris suis se vocant.

d) Primum in commentatione not. y) citata; deinde multis fragmentis Zabicis Lundae publicatis; postremo vero *Libro Adami* Lundae 1816 edito de his litteris optime meritus est.

Opinione autem, de hujus sermonis cum Syriaco proxima affinitate, praejudicata occupatus, quum revera is dialecti chaldaicae prae se ferat speciem, in tot ac tantos illapsus est errores, ut, quum linguae Zabiorum notitiam adjuvaret, studium ejus multum impediret^e). LORSBACHIIUS, qui in Aramaeorum lingua perdiscenda vitam nimis brevem paene consumserat, jura quidem hujus linguae vindicavit^f), sed quum rem in formam systematis redigere cogitaret, morte praematura abreptus est, neque post eum quisquam inventus est, qui hanc curam in se susciperet. Si *Librum Adami* et fragmenta non multa, ephemericibus inserta excepteris, ceterae Zabiorum litterae in Bibliothecarum, in primis Parisiis et Oxonii, recessibus latent^g). Cunctae scriptura Zabiis propria sunt exaratae, cujus litterae, quum Palmyrenis simillimae sint, alphabetis aramaicis debent originem. Neque vocalium nec alia signa diacritica in ea adhibentur; pro illis matres lectionis usurpant Ν, Ρ, Σ, litteris praecedentibus, τ tamen ς et ψ exceptis, affixas. Quod ita non est intelligendum, ut lingua, tamquam Aethiopica, sit syllabica^h); nam sola figurarum indoles eam postulat conjunctionem, quae etiam in litteris Ν, Ρ, Σ, quum vice consonantium funguntur, usurpatur. Sermo vocibus abundat per-

^e) Ab initio quidem jam ab *O. G. Tychsen* impugnabatur, cui ali sese deinde conjungebant, quorum agmen LORSBACHIIUS ducebat. De hac controversia inter Norbergium et Tychsenium scripsit HARTMANNUS in *Oluf Gerhard Tychsen* 2, 1. p. 415 sqq.

^f) Vid. *Museum für bibl. u. oriental. Litteratur*. Marburg 1807. I. 1, qui liber fere totus in Zabiorum lingua versatur. Idem varia fragmenta Zabica etiam explicavit in STÄUDLIN, *Beyträge zur Philos. u. Gesch. der Religion*, quem librum mihi inspicere haud licuit.

^g) In censura editionis *Libri Adami* Norbergianae (Vid. *Jenaische allgemeine Literatur-Zeitung* 1817. p. 578 sqq). W. G[ESENIUS] codices Zabicos hucusque cognitos recensuit. Ibi etiam judicium de ratione Libri Adami fecit, editori parum favens, et argumentum operis exposuit.

^h) Ita NORBERG e. c. in *commentatione laudata* p. 16. et S. DE SACY, *Gr. Arabæ* 2:me ed. p. 3. not 1.

egrinis; praecipue persicis et arabicis, neque formis grammaticis nec scribendi ratione omnino sibi constat. Ob eam rem jure quodam eum agrestiorem dices et originem Galilaeaeⁱ⁾ debere nullo negotio intelliges.

III.

Postquam naturam dialectorum Aramaearum universam qualitercumque persecuti sumus^{k)}, in conferendis iis, quae vel earum constituunt diversitatem vel communem efficiunt similitudinem, disquisitio versabitur. Quae, quamvis praesertim in duabus illis Chaldaica et Syriaca dialectis subsistat oporteat, ad quas ceterae magis minus sint referendae, tamen scribentem in arenam deducit controversiae plenam, ubi utrumque non semper paribus armis jam diu acerrime pugnatum est. Disceptantes enim in adeo diversas hic abeunt opiniones, ut alii discrepantiam tenaciter defendant linguarum, alii eam plane sublatam velint. Illis, qui ex singulis dialectis linguam ferme faciunt peculiarem, ASSEMANUM, LÖSCHERUM, WAHNIUM et WINERUM adscribere possumus; horum autem in numerum, qui Chaldaicam habent Aramaeam hebraizantem, Syriacam vero Aramaeam esse puriorem putant, AMIRAM, LUDOVICUM DE DIEU, MICHAËLEM, HUPFELDIUM, FÜRSTIUM et DELITZSCHIUM referimus, quorum opinio nobis etiam valde arridet. At, sicut supra monui, in toto hoc capite tractando, primum omnium tenendum est, nulla harum linguarum aetate omnino ae-

ⁱ⁾ גָּלְלֵי דָּגָרִים. ^{k)} DELITZSCH, in *Jesurun*, aliap dialectorum linguae Aramaicae dividendarum' sequitur rationem, quum eas in *Judaicas* et *Christianas* distribuat. Illis Aramaismum adnumerat *Targumicum* Onkelosi et Jonathanis Babylonicum, Syriacum paraphrastae librorum מִנְתָּר, Syrochaldaicum parapinastae quinque Voluminum (הַמִּלְמָדָן), et Palaestinensis Hierosolymitan; *Gemaricum*, qui pro diversis regionibus diversus erat, Persicus, Palaestinensis, Hierosolymitanus, Samaritanus, Galilaeus et Zabicus; *Soharicum*, qui aramaismum complectitur gnosi Judaicae adaptatum, et *Masoreticum*. Has lingua Syriaca continet. Cfr. I. c. p. 67 sqq.

qualia monumenta superesse, quibus earum primordia satis cognoscantur et tempus definiatur, quo, id quod valde probabile videtur, omnis lingua aramaea unam atque eandem habuerit speciem. Nam si antiquissima Chaldaeismi monumenta, locos inquam illos Danielis et Ezrae atque Onkelosi Targum, respexeris, ea Novi Testamenti versionem Syriacam Simplicem aetate multum superant. Etsi ratione linguarum aliarum ducti non difficulter perspicimus, quantum intervallo locorum et temporum non minus quam vicinitati populorum peregrinorum et imperii religionisque mutationi in lingua commutanda sit tribuendum, ut id quod in altera dialecto sit legitimum, in altera fiat a more abhorrens nec nisi rarum; tamen historia conformatiois earum successivae et continuae in obscuro est.

A vocalibus initium rei faciemus. Quae quam, ut vulgo constat, apud Semitas in tres potissimum distribuantur ordines, sonos *A*, *I* et *U* principales constituentes, e quibus ceterae omnes modificatae proficiuntur, non multum intererit diversitatis, utrum cum Chaldaeis *Kametz* (א) an cum Syris *Zekofo* (ז) scriperis; utraque enim ad eandem vocalium classem *A* est referenda. *קָמֵץ* igitur et *צָקְוֹף*, nihil inter se differunt^{l)}. Non aliter de diversa scribendi ratione in *וָאֶפְתַּח* et *לִפְנֵי* judicandum est. Diptongos autem in vocalem simplicem longam in altera dialecto contrahi, hanc vero vice versa in altera dissolvi, res est in cunctis linguis Semiticis communis^{m)}; ita Syrorum *لُؤْلِؤَ*,

